

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii trigesimâ ultimâ Decembris.

M. CLAUDIO DUFRESNE, Doctore Medico, Præside.

An ab ovo conceptus hominis.

I.

FELIX Minervæ cultor, & Jovi charus, naturæ nec testis, nec consiliarius, vel ocultiora detegit, & explicat obscuriora. Norit illam nullibi otiosam, ubivis operantem, providam, & in omnibus solertem, languidam in nullo, deficientemve; impositas sibi semel à summo conditore motionis leges severa servat, inviolatè, ad ultimam operum quorumvis perfectionem: spiritu eodem, qui ante ullius creaturæ formationem super aquas ferebatur, dictante, & digito quasi monstrante viam. A natura singulorum ortus, accretio, viventium vita, & sensus, mentis acuties, perfectiones animæ, *quatenùs ab organis pendent.* Ne tamen monstra dixeris illius opera, nec illa senescente concluseris casura sensim entia; illa causis instrumentalibus, has singulorum defectiones hostili assurgentium hospitum viciniæ veriùs ascribas, & potentiæ. Singula hæc, ut sapienti inimica naturæ, nec illam sequtura ducem, sic quibus non obvia erroribus? Ex humido elicit, & in ipso inchoat, quæ posthac ultimò perfectura est. in illo entium primordia, prima est nec ulla ipso accommodatior motus sedes; à quo lentiori, aut cessante, solidorum textura, & duri firmitas; utraque humido, & fluido obices, & veluti claustra, utriusque motum varia disturbant determinatione; quæ quantum noxia? Ne quid idem censeas humidum, ac fluidum, hoc enim in illo innatat, summè agile, summè penetrans, suum obvio cuivis, characterem, si excipere habile, impressurum, jam solidorum delineatio, & figura exterior; hinc & ampliatio, ut & viventium generatio, accretioque. Quì porro servabitur integer ille fluidi character, quì non immutabitur motus illius, dum claustro vel arctiori, ad tempora plurima detineri cogitur velut incarceratum, & vehiculi sui diuturniori quiete lentescentis, parte viscidiori conspurcatum? quæ ab

ovo, & contentis in ovo liquoribus evenire ipsi incommoda necessum est.

II.

OVUM intelligas capsulam, quæ viventis oriundi complectitur tum principia, tum ejusdem nutriendi materiam, ad ipsius hinc in auras ingressum; seminibus plantarum liceat id nomen indere, utero gerentibus nusquam. Formandi ovi exordium, & incrementum, fructibus arborum haud dispar, pediolo quoduis fulcitur, qui vel longiori funi armillæ in modum appendit ova, ut in reptilibus, vel racemo, ut in oviparorum plurimis: pediolus hic, funis, & racemus, vasorum sunt una in membrana collectorum, tum sanguinem, tum spiritus devehentium, ut & utriusque residuum in massam reducentium propagines; membrana hæc (vaginam dixeris) ovi cujuscumque involvit materiam. Racemum, qui multis inconsultò dicitur uterus interior, veriùs designabis ovarium, seu vitellarium, fidus naturæ indagator. parte lumbos inter media situm, dorso annectitur, & papulæ cuivis, quæ ovi primordium est, visus aciem sæpius effugienti, alioquin albæ, aqueoque scatenti humore modò dictos elargitur succos; quibus accrescunt sensim ova, flavescunt, luteique coloris fiunt: multò copiosiores excipiunt, quæ racemi lateribus sunt adnata, loco scilicet hoc ampliori constituta, & liberiori, partiumque vicinarum leni fota tepore, qui & succorum effervescentiam, & membranæ expansionem nonnihil adjuvat. Excipimus tamen columbinum genus, & piscium qui vocantur cartilaginei, quæ bina tantùm ova nido reponunt incubanda, ex parte ovarii dextra unum, alterum ex sinistra, multò majorem adepta molem, reliquis idem servantibus volumen, quoad incubationi disponantur. Justam nactus accretionem vitellus, pediolo præ pondere rupto cicatricula instructus, excidit ex ovario, per tenuissimam, & dilatationis capacissimam membranam infundibuli, in uteri processum, qui ut & ipsi continuus uterus rugosus intus, membraneo-carnosis constat spiris, & plicis in longum tractis tantò majoribus in utero, & crassioribus, quò veneri matura magis ovipara est. Plicæ illæ aquam exsudant lentam, locorum calore viscidam, quæ totam grandinum materiam, albuminis autem plurimam, delabenti vitello suppeditat, agglutinandam; reliqua ex vitello, cui implicita, secernitur. Uterus dorso alligatur rectum subtus intestinum, secùs ac in viviparis, tantò crassioris est substantiæ, & capacioris, quo extremo podici proximior; hîc ovum cortice induitur. In juniore ovipara nundum conspicuis, in seniore autem obliteratis, racemo, infundibulo, processibus uteri, ac utero ipso, nil nisi glandulosum & informe conspicere datur. Iisdem donarentur partibus ova irrita quibus fæcunda, si vi masculini seminis illa non destituerentur. Fœcundantur & plurima unico maris congressu, sive in uterum, infundibulumve delapsa irroraverit genitura maris, sive illa racemo etiamnum appensa, & pappulosa attigerit. Illico concitatur in ovi partibus motus fermentativus, tantò naturæ amicior, quod subjecto perficiendo dicatur semper. Acida genituræ maris virtus primum generationis efficiens, succis seminique obvians in ovo contentis, quæ naturæ sunt fixioris, & maxima ex parte, salino-alkalinæ, illorum hinc illinc compagem implicitam in viscidis explicat, horum nexus solvit, illos solutos unit, pro servato partium unde exciderunt charactere, portionibus iis longe profundius, impresso quam

vegetantium ſemini, quem non nihil adjuvat internum id ſeminis ſpirituoſius acidum, quod multiplici per ſingulas partes itu, redituque ſingulorum ſibi characterem aſciſcit expreſſiùs, ad domicilii ſui conſtructionem perfectiùs elaborandam. Nec operi tanto ſpatium negavit natura ſagax, indita ſingulis ovis cavitate, quæ ſi ſumme mobili materiâ primo repleta fuerit, agentium poſthac libertati, ut partes in ſitu naturali conſtituantur, potiſſimum confert.

III.

COnceptus, ſeminum eſt utriuſque parentis mixtorum, in diſpoſitam proli generandæ materiam actio. Hinc cuilibet animantium ſpeciei data ſunt ab initio creaturæ mas, & fœmina; in utroque generandi virtus modo unita, in utrovis ſeorſim nulla. Hæc à ſemine eſt, cujus vitio minus quam materiæ deficit conceptus, vel vitiatur; facta degener, vel ab organis illam elaborantibus percolantibuſve, aut aſſervantibus; à prioribus crudior, effœta, vel horum inſito defraudata ſpiritu; percolantia ſœpius multiplici ſcatentem impura miſcella ſinunt præterlabi, ſic craſſiorem paſſa: & aſſervantium indole adulterâ, lenteſcit ut plurimum & redditur viſcidior. Futuro itaque operi tantò magis conveniet, non quanto humidior, ſed quanto fluidior; plurimus tunc irrorat illam ſpiritus, & imbuit, quo coctioni inelaborante organo paratior fit & actuoſior; vel leviori percolantium opera, pura, & tenuis; quem hoſpes ſpiritus, quo turget, inteſtinum in ea motum aſſiduo ſuſcitat, is, & à lentore vindicat illam, & à nimia viſciditate: ipſi non parum officere cœli inclementiam, tempeſtates aëris, & matricum exteriorum incommoda evincit ſuper, deficiens in ovo, tempore incubationis conceptus; quibus magna ex parte immunis qui in viviparis peragitur, tantò futurus abſolutior, quantò ex perfectiori parentum ordine efformandus. Cæteris ortu nobilior Homo, functionum numero, & dignitate reliquis longè excelſior, ſpirituum illi præ aliis uberior penus, & elaboratior; quos in mulieribus ſi non obfirmant validiora corporis exercitia, nec exacuunt danda artibus opera, & optata diſciplinis attentio; nil minùs alacres præſtant & vegetos inſitus ipſis politioris humanitatis amor, ardens ornatioris, & incorrupti ſermonis ſtudium, & celeres quibus aguntur animi motus, ac pectoris. Functionibus quibuſlibet obeundis præſto adſunt ſpirituum vectores numeroſiſſimi, quibus inſtructa organa, quantùm non actuantur? At quanto copioſioribus ditantur illa, quorum operi conſummando lætior natura tota ſtudet, ſuæ intelligas per individui propagationem, immortalitatis avidiſſima; ſua tantum ad opus habet organa, quæ quanto viviparorum cæterorum iiſdem, perfectius inſtructa? Teſtes prima generationis organa, habet in hyppogaſtrio poſitos, qui lati, compreſſi, effigie phaſeoli, tunica propria conteguntur & exteriori membrana, à peritonæo deducta, ſubſtantiâ partim glanduloſâ partim omni vaſorum genere circonvolutorum compactâ; quæ parte uterum verſus mediâ cava, ſuccos in ſuo tractu attenuatos ulteriori teſtium elaborationi aſportant, ad ſitas in eorum centro glandulas, inde per cæcos eorum ductus ad appenſas teſtium quaſi circumferentiæ veſiculas, nerveas, ac ejuſdem ſemper molis, in virginibus, vetulis, aut viro nuptis, nec illæ, nec teſtes unquam obliterantur, quod oviparis evenit. Liquorem ſuum deponunt in deferentium ramulos, partim in uteri fundum & cervicem, partim in tubarum

uteri medium corpus ; exporrectos ; tubæ illæ uteri quasi appendices substantiâ partim musculoso-nerveâ, partim plicis, seu cellulis oblongis recurvis, à media sui parte, ad extremum versus testes crispatæ desinunt in musculum fimbria multiplici carneâ fluitante ornatum, digitos inferente. Cellulas has prostatarum, ut vesicularum seminalium vicem implere, vesiculas testium non negaverit, qui liquorem in utrisque contentum similis prorsus naturæ, igni concrescentem, & in auras facile evanidum agnoverit. Tubarum cavitas tantò amplior versus testes, à quibus digiti ad minimum distant crassitie, quantò uterum versus angustior, hàc vix tenuem admissura stilum, illàc pisum quandoque majorem. Uterus tandem viviparorum matrix, excavatus musculus omni vasorum genere instruitur, & simili, ac tubarum & fimbriarum substantiâ, quibus singulis contrahendi vis inest & expandendi. Masculinum hic semen primus excipit proprio, undevis affluxerit, commiscendum in futuram conceptionem, quæ summè naturalis, si in uterum, rarior è contra præter naturalis, ac felici semper frustrata partu, si in tubas semina congressura appulerint. illius efficiens spiritus ab utroque parente, in semen, quod proprium connubio est animaturus, velut impete protrusus, ubi parentis in amplexum amor, aut seminis acrior urget vis. Protinus à reliquo decidit spiritus, novi futurus architectus opificii, domiciliique; spiritus accessu, seminis humor turgescit, hinc claustra coguntur expandi, quæ nervea, & vi elasticâ donata, novos in proprii elateris subsidium vocant spiritus qui firmitatem illorum tueantur, ne rumpantur illa præcaveant, & turgentiorem humorem è sinu, patentiore via contracturi, propellant. Attende ac conspicuas in viro nuptarum, vel veneri nimis deditarum testibus carunculas, tantò plures, quo liquor ab iis frequentiùs defluxit, & uberius: has qui autumabit arefacta ova, seu exsucca, unde ex succa concludet? Crepuerunt inquiet, quot sinistro sic nata, fidere! testiculos quippe aut vesiculæ ambiunt, aut carunculæ, probanti fides fit anatome.

IV.

IN quo vesiculas testium cum ovis affines, vis decernendas? An quia corpori testium orbiculatim appensæ & racematim? An quia liquore fœtæ apparent? Sic uvas non modò, sed & omnis generis fructus, totidem ova æquo jure censueris. Quî tandiu torpescet in ipsis seminis humor. Novo nec irrorandus; & spiritu vel denegato non immutatus, vel eodem appulso quasi veternoso immotus? Non remissior ibi quam in utero calor, nec parcior humiditas, quibus foveri possit ovi materia, & intumescere. Valebit seminis masculini rector spiritus, penetrare uterum, tubas transgredi, ferri ultra peritonæum, & membranam pretioso illo turgidam liquore, quam ovaristæ ovum vocitant? Secum valebit huc rapere futuras masculi partes, quæ à talibus maris partibus configuratæ decidunt? In ovo & ipsæ insunt, inquis? At unde huc appulsæ? Quæ in fœmina partes potuerunt ipsas cudere? Inclusas vis forte in cujuslibet animantium speciei primæ fœminæ testibus, quos ais ovaria, ab initio creaturæ; è quibus in posterarum ovaria, traduce via, immittuntur: at nescis totuplici partitione, imminuendam ovariorum molem, & ovorum numerum, utraque sic tandem deficienda, quibus defecturis peribunt rerum essentiæ; cur innumerosioris prolis parente ampliores nec sunt,

nec tenuiores testes quam in virginibus, & claustro, ab ipsa pueritia, ad extremum senioris vitæ terminum, addictis? Nec his nostris quam Noë temporibus? Mirare illius sagax figmentum, qui volitantia in aëre ova illa, à fœminis (inspiratu sane potus aut alimenti assumptione) excipi in testium, sinu, ut proprio recondenda, imponit. Quasi vel à quovis animantium ore absorbenda, ut de stercore, multo dicam deteriore luto erigatur pauper cum principe collocandus, & ad conditoris similitudinem efformandus? Quasi vel absorta ulterius in auras propulsentur, multiplici hac tot intra animantium corpora vel diversissimæ structuræ, introitu, circuitu, & egressu, nusquam alterata? Quasi vel à solis devoranda mulieribus, intelligenti quadam exhibente manu? Non omnibus, ne in sterilibus, delineantur peritura, sed iis tantum quæ viro quondam jungendæ fœcunditati sunt illa dispositura? Quasi tandem singula seorsim cuncti-potentis una manu fabrefacta, cui minus fuisset possibile, & arduum magis, mulierum testibus indere vim feminificam, quam herbæ virenti concessisse constat, & prolificam iisdem virorum organis & fœcundantem affixisse? Si fœcundetur semine maris ovum in ovario, qui & conceptus hic non fiet, & fœtus accreto? Hinc quomodo excidet? Quo novo pondere ad rupturam incitabitur suspendens ovum pediolus? Aut qui tam subito exarescet? qui dilacerabit perforabitve propriam, quâ tegitur & communem testiculi membranam? Hæc vi dilatata dolorem non concitabit tanto exquisita sensu; Tubarum fimbriæ ovum apprehensione excipient? quæ sua contrahendi vi succos in eo contentos comprimendo, propellere in appensa vasa, vel rudior evincit ratio: Judicabis hinc ovum trans tubas exilire in uterum absque crepitu, quarum cavitas uterum versus angustatur adeo?

V.

QUID plura? Conveniet semina totuplici cogi carcere? Iis uteri claustrum non sufficiet? Seminum potentiæ tanto num valentiores quo exercere se minus licitum? Suis uterque spiritus aptabit locis partes singulas negato ad opus spatio? In utero mollescent fient ovi decantati tunicæ tanto alibi induratæ tempore? Aut natantia in humido umbilicalium stamina poterunt adeo obfirmari, ut tunicas has valeant perforare in efformandum funiculum, & construendam placentam? Construent illam in fundo uteri, potius quam in alterutro ipsius latere? Ubi præ majori pressura obviis uteri porulis & vasorum ostiolis latera nil minus quam uteri fundum irrorantibus radicari posse nemo negaverit; ut de vortice quasi uno, in alium spirituum & alimenti pateat aditus & commercium. Tabes illa dorsalis frequens in recenti hymenœo nimis indulgentibus, tantus hic ex universo corpore à congressu languor, podagra, & sexcenta quæ singulos salaciorum artus impetunt mala, ova probabunt evidentius, quam deciduum ab universo corpore semen copioso singularum partium insito spiritu dives? Ille spiritus qui partium tonum servat, & firmat elaterem, mollioribus succis appellentibus characterem imprimere erit impotens, qui vel in partes fœtus à prægnante maxime dissitas, firmare conceptæ in mente prægnantis, de concupitis aversisve ideæ, characterem efformare aptissimus est, & effigiem? Tandem, peracto gemellorum conceptu, totum uteri campum occupante, & clausis, ut innotuit

disſecto cadavere, utrimque tubarum oſtiolis, ſuperfœtavit mulier. Ab ovo ſuperfœtationem accipies potius, quam à ſeminum concurſu in ipſo uteri limine, per exporrectos circa uteri cervicem deferentium ramulos, è quibus ſtillat humor idem qui è tubis teſtiumve exſudat veſiculis, patium itaque in fœmina unde manavit charactere inſignitus?

Ergo non ab ovo conceptus hominis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Philippus Hecquet.

M. Joannes Baptiſta Chomel.
M. Honoratus Michelet.

M. Joſephus Pitton Tournefort, Botanices in horto regio Profeſſor, & regiæ ſcientiarum Academiæ ſocius
M. Gilbertus Puylon.
M. Andreas Creſſé.

M. Antonius le Moine.

M. Guydo Creſcentius Fagon, primarius Regis Medicus, & Archiatrorum Comes.
M. Jacobus de Bourges.

Proponebat AUGUSTINUS LIPPI, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1698.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.